

Corpus inscriptionum Latinarum. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis editum. Vol. IX: Inscriptiones Calabriae Apuliae Samnii Sabinorum Piceni Latinae. Suppl. pars I: Regio Italiae quarta. Fasc. I: Samnites – Frentani. Edidit MARCO BUONOCORE. De Gruyter, Berlin – Boston 2018. ISBN 978-3-11-062796-1. LVIII, 418 pp. EUR 239.

Volumen IX *Corporis inscriptionum Latinarum* a Mommseno conscriptum editum est a. 1883; nunc denique rerum Romanarum studiosis praesto est supplementi eiusdem voluminis fasciculus primus, qui continet titulos Samnii et Frentanorum, id est partem meridionalem regionis Augusteae IV. Ita in hoc fasciculo invenimus urbes Italiae inter Telesiam, civitatem Samnitium maxime ad meridiem sitam et Ortonam, civitatem Frentanorum maxime ad septentriones sitam (cf. laterculum civitatum infra). Fasciculus secundus continet terras Marrucinorum Paelignorum Vestinorum, tertius Marsos et Aequos (hi fasciculi iam sunt editi), quartus continebit Sabinos, quintus indices (v. p. 1253). Haec omnia sibi facienda sumpsit Marco Buonocore (infra “B.”), homo rerum epigraphicarum non ad regionem IV tantum pertinentium sed in universum peritissimus, cui rerum Romanarum studiosi omnes non solum gratias agere sed etiam gratulari debemus. Regiones quae continentur in *Corporis* vol. IX aliae, id est regiones II, V, VI, pertinebunt ad alios inscriptionum studiosos, quibus fasciculi Buonocoriani sine dubio exemplum dabunt.

Liber hic initium capit a Praefatione (p. LXXIII–VI), quae mihi videtur esse legenda vel ideo, quod ex ea facile apparet, quanti laboris sit corpus huiusmodi conscribere (id quod apparet etiam ex bibliographia), quantusque sit numerus earum eorumve, qui ad opus perficiendum auxilium suum praebuerunt. Sequitur (p. LXXIX–CXXII) Conspectus primum auctorum et deinde periodicorum sive aliorum operum abbreviate laudatorum, et in fine partis eius, quae praecedit ipsam editionem titulorum Explicatio notarum eadem, quae etiam in aliis *Corporis* voluminibus recentioribus invenitur, scripta a J. Krummrey (p. CXXIII–IV).

At iam transeamus ad ipsum corpus sive potius supplementum corporis (p. 849–1252), quod totum divisum est in capitula haec: Samnitium Telesia, Allifae, Saepinum, Fagifulae, Bovianum Undecimanorum, Terventum, Aesernia, Bovianum Vetus, Aufidena, Trebula, Samniticae incertae; Frentanorum Buca – Uscosium, Histonium, Iuvanum, Cluviae, Anxanum, Ortona; sequitur ut hoc fasciculo contineantur addenda ad numeros corporis Mommseniani 2194–3011 et 6295–6315. Tituli autem novi sunt 6420–6973 (Samnitium 6420–6881, Frentanorum 6882–6973), ita ut appareat numerum titulorum novorum esse fere 550. Hi omnes tituli cum veteres tum novi quomodo capitulatim sint distributi ex hac tabula intellegi potest, in quam numeros sumpsi ex conspectu huius fasciculi p. LXXI–LXXII (titulorum falsorum et alienorum ratio infra non est habita):

Capitulum	CIL IX (1883)	Ibid. add.	CIL IX S. (2018)
L. Telesia	2194–2317	6295–6303	6420–6511
LI. Allifae	2318–2437	6304–6306	6512–6568
LII. Saepinum	946. 2438–2559	6307–6309	6569–6659
LIII. Fagifulae	2553–2627	---	6660–6672
LIV. Bovianum Undecimanor.	2521. 2524. 2560–2584	---	6673–6715
LV. Terventum	2585–2627. 2772–2790	---	6716–6755
LVI. Aesernia	2628–2769	---	6756–6848
LVII. Bovianum Vetus	2770–2794	---	6849–6854
LVIII. Aufidena	2795–2822	---	6855–6877
LIX. Trebula	2823–2825	---	6878–6880
LIXa. Samniticae incertae	---	6310–6311	6881

LX. Buca-Ucosium	2826–2834	6092. 6312. 6408	6882–6896
LXI. Histonium	2835–2943	6313	6897–6935
LXII. Iuvanum	2949–2979	6314	6936–6961
LXIII. Cluviae	2960. 2969. 2971. 2980–2994	---	6962–6971
LIV. Anxanum	2995–3010	---	---
LV. Ortona	3011	6315	6972–6973

Numeris crassioribus usus sum ibi, ubi numeri titulorum capitulis singulis attributi quodammodo discrepant a serie numerorum naturaliter per se crescente. Hoc factum est praesertim ideo, quod tituli editi a Mommseno inter titulos civitatis alicuius a B. attributi sunt civitati alii; ita inter Saepinates iam invenimus titulum 946 editum a Mommseno in capitulo quodam alio, sed qui repertus est loco dicto Ielsi, quem locum pertinere ad territorium Saepinatium iam constat. Translationibus (ut ita dicam) similibus explicantur etiam numeri quidam alii. Quae cum ita sint, dolendum aliquantum est praefationes ad capitula singula, in quibus fines et territoria singularum civitatum (at etiam alia multa, e.g. studia recentiora pertinentia ad ipsas civitates earundemque magistratus et in universum ad res epigraphicas) explicari potuissent, omnino deesse.

Capitula omnia ad singulas civitates pertinentia continent primum “Addenda et corrigenda”, scilicet ad titulos cum falsos tum genuinos iam propositos in corpore Mommseniano et deinde “Titulos novos”, id est titulos repertos aut certe primum editos post a. 1883 (in capitulo LXIV pertinente ad Anxanum tituli novi non proponuntur). Non solum tituli “novi” omnes, si etiam nunc exstant, sunt depicti photographice, sed etiam tituli multi iam editi in corpore Mommseniano (e.g. Telesini 2199. 2213. 2215. 2217. 2219. 2223. 2230–1. 2234. 2236–7. 2239. 2241. 2248. 2250. 2255. 2268.

2278. 2283–4. 2286. 2289–90. 2294. 2303. 2305. 2310, Saepinates 2438. 2440. 2449. 2453–4. 2469 (= 6610). 2471, Histonenses 2835. 2837. 2842. 2843–4. 2845–6. 2849. 2852. 2853–4. 2856. 2858–9. 2860. 2861–2. 2864. 2866. 2869. 2871. 2874. 2877. 2879–80. 2881. 2884–7. 2891. 2893–4. 2896. 2900. 2903–4. 2912. 2919–20. 2923. 2936. 2938. 2940–42. 2944–5); ad quosdam titulos photographice hic non depictos observatur imaginem inveniri in Archivo Corporis (i.e. *CIL*) Electronico (ACE), ita e.g. ad 2855 (*ILS* 5501).

Quod ad bibliographiam attinet, ad quosdam titulos laudantur etiam libri editi a. 2018 (e.g. *Epigraphica* 80 [2018] ad n. 6816), id est eo ipso anno, quo hic fasciculus prodiit, id quod mihi videtur paene mirum. Id facile apparet, B. legisse et laudavisse fere omnia, quae ad titulos illustrandos pertinere possint (quosdam libros raros in commentariis memoratos B. ipse inspicere non potuit, cf. e.g. ad 6542, 6626a, 6642, 6807). Interdum tamen mihi videntur laudari quaedam, quae omitti potuissent; e.g. ad titulum Fabii Maximi n. 2337 laudatur etiam C. Bruun, in *Mediterraneo e la storia* 166, sed Bruun ibid. (adn. 92) obiter tantum memorat tres titulos eiusdem Maximi, qui facile inveniuntur e.g. in *PLRE*. In quaestionibus praesertim ad linguam Latinam pertinentibus saepissime refertur ad ea, quae scripsit M. G. Tibiletti Bruno in *Abruzzo* 9 (1971; hoc opusculum in bibliographia non memoratur), e.g. ad 2235 [I2 1747] de *ludeis, turris acc., faciundas coerarunt*, at cum hanc ephemeridem non putaverim facile inveniri extra Italiam, melius fuerat ut puto laudare manualia omnibus nota res tales tractantia, praesertim cum multa dicta a Tibiletti Bruno mihi videantur spernenda vel omnino ignoranda (e.g. 2528 “*Plotiae pro Plautiae suspicatur*” Bruno; 3008 “*Pollae pro Paullae non excludit*” Bruno; 6315 Bruno “non excludit, quin nomen Ninnii ad formam Ninii reducendum sit”). Neque puto in bibliothecis facile inveniri opusculum quod scripsit E. Pais in *Atti Reale Accad. Arch. Napoli* 6 (1918), saepius laudatum de nominibus gentilicis.

Ut iam veniam ad ipsos titulos, monumenta inscripta multa, quae Mommsen vel eius adiutores, praesertim Dressel, etiamtum inspicere potuerunt, iam perierunt (e.g. tituli Telesini 2194. 2196. 2198. 2201–7. 2206–7 etc., Allifani 2324. 2328. 2331, Saepinates 2441–2. 2447. 2456–8, Aesernini 2751. 2755. 2764, etc.); etiam tituli quidam editi saec. XX iam perierunt (e.g. 6580. 6857). Contra notandum est hoc, multos titulos, quos Mommsen cum adiutoribus inspicere non potuerat, re vera etiamnunc existere totos aut certe partim, e.g. 2276. 2279. 2325 (= 6513). 2327. 2329. 2349. 2353. 2356. 2359 (= 6523). 2376. 2411. 2439. 2446. 2497. 2522. 2529. 2532. 2555. 2553 (= 6660). 2587. 2692 (= 6774). 2854. 2907. 2953. 2956. 2964. 2971; ita memorabiles, ut sumpti sint inter titulos propositos a Dessau in *Inscriptionibus selectis*, inter eos sunt 2854. 2956. 2964. Quod ad titulos “novos” attinet, sunt satis multi, qui non leguntur in *Année épigraphique* vel in aliis editionibus plus minus notis, ita ut multis lectoribus hic primum omnino innotescant. Saepius agitur de fragmentis vel de titulis in universum minoris momenti, at nota e.g. titulos Allifanos 6527 C. Naevoleii C. M. I. Chresti *August(alis) Allif(is), quaest(or)is August(alium)* et 6545 hominis sine cognomine memorati

cum filio cognomine praedito; Saepinates 6569 dedicatum *Iovi Libero*, 6572 Commodi, 6578 Pii, 6579 Gordiani [*libe*]rtatis auc[toris, o]rbis [restituto]ris, 6581 Helenae matris Constantini, *aviae dd(ominorum) nn(ostrorum) Caess(arum) beatissimorum, uxor*is (sic) *divi Constantii*, 6583 et 6584 Fabii Maximi rectoris Samnii, 6587 Lupi cuiusdam, rectoris Samnii minus noti saec. IV fere medio, item multos alios titulos Saepinates (titulos quosdam Saepinates non inveniri in *AE* inde partim explicatur, quod tituli propositi a M. Gaggiotti in *Athenaeum* 56 [1978] non videntur esse recepti in *AE* 1978); Aeserninos 6768 IIIIviri *Aeserniae* et 6776 VIviri Augustalis *Aufidena* (abl. pro loc.), Cluviensem 6966 memorantem *socios* quosdam *Vedianos*. Numerus titulorum usque ad a. 2018 nusquam editorum, qui sunt plerumque fragmenta, non est magnus.

Ad titulos omnes cum Mommsenianos tum novos adduntur commentarii necessaria explicantes et bibliographiam praebentes (de qua v. iam supra); quibusdam titulis intellectu paulo difficilioribus additur versio Italica. Quod ad lectiones ipsorum titulorum attinet, ut saepe fit in titulis in *Corpore* saec. XIX editis retractandis, lectiones et/aut interpretationes multorum titulorum a B. correctae sunt, id quod mihi liceat hic illustare exemplis quibusdam. **2332** (= 6562): titulus a Mommseno inter titulos imperatorum relatus re vera est titulus Christianus episcopi cuiusdam. **2449**: v. 2 inscriptus est in litura, in v. 4 potest fuisse *mo[enium]*. **2461** (= 6586): titulus non intellectus a Mommseno vindicatur Turcio Aproniano patrono Saepinatium (saec. IV). **2469** (= 6610): cognomen “*Subincanus*” corrigitur in *Sublucanus*. **2529**: *Sargiania* pro “*Sarciana*”, quod nomen iam delendum esse apparet. **2532**: *Perulae*, non *Perullae*. **2566**: pro “*consuli / Pannoniarum*” legendum est id quod expectaveris, *consula[ri]*. **2760**: pro *L. Deiio* (sic) legitur *L. Papiro*; sequitur ut nomen *Deius* sit delendum. Cf. etiam e.g. **2454**, **2536**, **2587**. In **6859** B. se corrigit ipsum.

In universum dicendum est B. munere suo functum esse optime, cum lectiones titulorum et commentarii ad eosdem mihi videantur esse omni laude dignos. Sunt tamen quidam tituli, de quibus quaedam ut puto observari possunt, et ita iam de iis videamus (nota me, ex bibliothecis exclusum cum haec scribo, referre ad ea tantum, quae in hac editione leguntur; sequitur, ut inter ea, quae infra scribam, possint esse multa iam ab aliis proposita). **Telesia**. **2207** [--- c]os. XI[---]: nescio an possit cogitari de aliis quibusdam supplementis, e.g. [*vixit ann*]os XL[---]. **2209** (“litteris bonis”): [---] *E·AVG*[--- / --- *Ca*]esaris [---]: “[*pro salut*]e vel. sim.” B., qui hunc titulum attribuit aetati imperatoriae incipienti: at cum formula *pro salute* inveniatur aetate potissimum paulo posteriore et cum nomina imperatorum rarissime incipiant vocabulo *Augusti*, ego potius cogitaverim e.g. de mentione Augustae cuiusdam (cf. *Sabinae Augustae* n. 2202) eiusque mariti. **6436**: in titulo aetatis fere Augusteae cogitaverim potius de ablativo *leg(ione)* VI. **6454**: “forma antiquior” *Laenates* (nom.) inscripta mihi videtur esse pro *Laenatis*, quae est forma antiquior cognominis *Laenas*, cf. nominativos *Ardeatis* *Arpinatis* *Tiburtis* apud Catonem (et M. Leumann, *Laut- und Formenlehre* p. 345sq.). **6456** pro *flendusque per [saecula]*, quae verba metrum non respiciunt, praetulerim *flendusque [per aevumst]*,

quod supplementum memoratum in commentario proposuit M. Massaro. **Allifae. 2339:** quod ad hunc titulum Q. Tarronii Felicis Dextri *c. v.* observatur, “Avus maternus fuisse videtur Tarronius Pisoninus in tit. qui sequitur”, id sine dubio est corrigendum in “Avus ... Tarronii Pisonini”, cum titulus 2340 Pisonini, mortui annorum duodeviginti, sit aetatis multo posterioris. **2346:** apparet Aquillium Rufum in cognomine filii C. Aquillii Flori eligendo imitatum esse Aquillios Floros senatorii ordinis (cf. C. Aquillium Florum consulem 259 a. C. et *PIR*² A 989–993). **2356:** Naevoleia Procula *Labeonis* mihi videtur esse filia Naevoleii Rufi. **2385:** nota cognomen libertae esse omissum in titulo saec. I p. C fere medii. **2421** (item 6615): valde gaudeo, quod B. iam mecum (*Arctos* 27 [1993] 95–101) consentit de interpretatione abbreviationis (e.g.) *L. f. f. Saepinum. 2438*, tabula Saepinas praefectos praetorio memorans: *v. 14:* addenda mihi videtur coniunctio <cum> ... *quererentur (subinde = saepe)*, cf. *v. 20 et cum. V. 17:* verbum videtur excidisse, e.g. <retineant>. *V. 19: necesse habeamus etiam scribere:* haec verba mihi videntur esse paulo corrigenda, e.g. in <et cum> *necesse haberemus* (at cf. *v. 20 perseverent*) *etiam <atque etiam>* (i. e. *saepius*) *scribere*. In versione Italica p. 952 non bene intellego versionem verborum *per itinera callium* “sui luoghi stessi (delle controversie)”, cum his verbis omnino indicetur locus, ubi conductores iniuriam accipiebant (*per itinera callium fere = per calles*). **2515 Anteros** non est corrigendum. **2518:** cum ad titulum de nomine *Ninnii* referatur ad non minus tres scriptores, addi potuerat scripturam *Taddii* (pro *Tadii*) reperiri in hoc solo titulo. **Saepinum. 6593** *L(ucio) Neratio ... Prisco ... co(n)s(uli) ... ex testamento / Hymeti lib(erti)* “titulus sepulcralis viri ordinis senatorii”; at cum dicatur *ex testamento Hymeti lib(erti)* (non *ex testamento Hymetus lib(ertus)*), apparet agi de testamento liberti, non ipsius Prisci, ita ut concludendum sit heredes Hymeti ex testamento eiusdem monumentum posuisse in honorem patroni. De morte Prisci ex hoc titulo nihil discimus (contra titulus 6595 potest fuisse sepulcralis Neratii Marcelli, cum eum posuerit uxor Marcelli). **6626a** [*Zosimo Manliae [F]adillae disp.*: eadem fortasse Manlia Fadilla *PIR*² M 164. **6632:** nomen *Firivii* hic primum memoratur. **Bovianum Undecimanorum. 6692** *L. T. Q. Helvis L. f. Vol.*: de nominativo *-is* (et *-eis, -es*) cf. E. Dupraz laudatum ad 2617 (*filis* nom.), item *Tadis fratre[s]* Cluviis 6967. **6701:** *Staius* (non “*Staius*”). **6703** “saec. II p. C.”: mihi litterae videntur esse aetatis paulo antiquioris. **Terventum. 2596:** ego non laudaverim ea, quae scripsi *Arctos* 48 (2014) 509, cum ibidem nihil dico de interpretatione huius tituli. Contra in libro meo de praenominibus (*Die römischen Vornamen*, 1987) p. 296 hunc titulum laudo inter titulos, in quibus memorantur patres libertini generis cognomina habentes cum filiis cognomine carentibus, id quod aetate antiquiore interdum invenitur. **Aesernia. 6815:** nomen *Pulflanius* sive *Pulflanus* fortasse ductum est ex nomine loci alicuius **Pulf(u)lae* (cf. *Fagifulae*). **6822** *L. Vibius L. f. M. n. Gallus frater L. Vibi L. f.*: Hunc titulum tractavi *Vornamen* p. 294 ideo, quod mihi mirum videbatur inveniri fratres eodem praenomine praeditos, de quibus unus habuit cognomen, alter eodem caruit. Ibidem memoravi praeter titulos quosdam similes etiam titulum Bovianensem 6853, quem posuit C.

Socellius Sex. f. Vol. Celer **C.**, Q. Socellis Sex. f. fratribus. **6824** [---] *dio K(aesonis) f(ilio)* [---]: saec. I p. C. medio posse cogitari de praenomine antiquissimo *Kaesonis* non crediderim, neque quod inter finem nominis et vocabulum *f(ilio)* inscriptum est habet formam litterae *K*, inscriptum enim est fere *IC*. Quid subsit, ignoro. **Aufidena. 2803**: ego de saec. IV potius cogitaverim cum *PLRE* I p. 24 Severus 23 (“?IV”). **2806**: cum in commentario sermo sit de nomine non raro *Pontii*, addi potuerat nomen *Venaecii* in Italia inveniri in hoc solo titulo (in Hispania invenitur bis). **2818** (ex Pighio): cognomen Sicinii *P-POR* mihi videtur corruptum; intellegi posse *P(ubli)por* non puto. **Histonium. 2847**: cum sint qui putent (cf. “ut vulgo assumitur” *PIR*; C. Letta, *Athenaeum* 95 [2007] 947sq.) praenomen C. Hosidi Getae (legati Claudii in expeditione Britannica etc., *PIR*² H 217), memoratum apud solum Dionem, esse corrigendum in *Cn.*, ita ut Geta hic idem sit ac Cn. Hosidius Geta *PIR*² H 216, reputari fortasse potest, num quod in initio huius tituli (memorantis legationem in Britannia etc.) traditur, “*CIV.....ID.....*”, possit intellegi *CN. [HOS]ID[IO ...]* (de lectione *civ[i]* non cogitaverim). **2853** “Post 148 p. C. n.”: potius 138? **2855** “Alteri parti saec. I post medium p. C. n. tribuenda, fortasse post 79”: at ex mentione *divi Vespasiani* apparet titulum sine dubio attribuendum esse annis post a. 79. **6898** (titulus dedicatus Q. Fuficio Cornuto consuli suffecto a. 147): “post a. 150 p. C.”: at cum in hoc titulo non memoretur legatio Moesiae Inferioris qua functus est Cornutus post consulatum (certe a. 152, *ZPE* 208 [2018] 229–36), non video, cur hic titulus non possit esse positus iam ipso anno consulatus vel paulo post. **6900** (tabula patronatus a. 384): ut fit in tabulis huius temporis, verba saepissime difficiliter intelleguntur, si omnino intelleguntur. Emendationes quasdam, quamvis sint omnes incertae, item observationes quasdam mihi hoc loco offerre licebit (omnia autem nullo modo corrigi possunt). V. 2 *vivas felicem et venerabilem seculo!* Accusativi fortasse possunt quodammodo explicari sumendo scriptorem tituli in unum miscuisse hortationem et exclamationem. V. 3: versio “i decurioni degli abitanti della città di Cluvia Carricinarum” non bene respondet verbis [*u*]niversi Cluvi<e>nses Carricini. V. 3–4 (... *Carricini consilium [sib?]i hab`e`ntes*) ... *id cum universa ferentis* (i.e. (*re*)ferentes; sequuntur verba dicta in consilio): “(in assemblea) con il consenso di tutto il popolo ... riferiscono quanto segue (“quanto segue” respondens ut puto vocabulo *id*)”: ego autem rettulerim verba *cum universa* (ubi ego addiderim e.g. <*plebe*> vel potius <*plebs*>, cf. infra) non ad *consilium* sed ad *ferentis*; praeterea non excluserim *id* esse inscriptum pro *et* (cf. *it = et* in eodem versu), ita ut hoc loco sit dictum mutatis mutandis fere haec: “*et cum universa <plebs?> ferentes* (pluralis secundum constructionem ad sensum; de participio cf. *habentes*)”, i.e., cum verbum finitum omnino desit, “rettulerunt”. V. 5–6: *quanta sit claritas tantaque benignitas{que} Aureli Euagri: tantaque* sine dubio corrigendum in *quantaque* (cf. fortasse *quantos et quales* pro *tantos et tales* in tabula Amiternina anni 325 *AE* 2015, 370). V. 6 et 7: *huius* intellegendum est *cuius*. V. 11 *huius offeramus*: fortasse intellegendum *huic* (vel potius *ei*). Ibid. *ortato sibi honore*: his verbis videtur respondere versio “un honore che egli stesso aveva richiesto”; at observationes huiusmodi de desideriis ipsorum patronorum

in aliis tabulis patronatus non inveniuntur et cum sequantur (v. 11sq.) verba *patriam ... amare ac diligere non desi<na>t* (ita sine dubio corrigendum id quod inscriptum est *desit*), non excluserim verba (*h*)*ortato sibi honore* dicta esse pro *hortante se honore* Cluviensesque voluisse dicere se sperare (inter *offeramus* et *ortato* fortasse addendum est <ut>), ut honor (scil. patronatus) Euagrium hortetur, ut non desinat amare patriam. V. 11sq. verba *patriam civiumque Cluviatium (amare)* mihi videntur esse corrigenda aut in *patriam civium Cluviatium* (de *que* delendo cf. *omnium{que}* in v. 13) aut in *patriam civesque Cluviates*. V. 14 *felicem diem = felici die*. V. 15: *claritati censori(a)eque candori* videtur esse dictum pro *claritati censori(a)e candorique* aut *candor* scriptori tituli fuit femininum (cf. Francogallice *la candeur*). V. 17: *dignabitur*: futurum hoc loco sine dubio exprimit non quod Euagrius re vera facturus est sed quod Cluviates sperant eum esse facturum. Ibid.: *h[oc patronatu]* post *sobpleto* (= *suppleto*, versum “ricevuto”) bene B. **Iuvanum. 2974**: Bene B. vidit in v. 4 legendum esse *patri*, non *patro[no]*. Non video, cur in eodem versu litterae *P. C.* non possint intellegi *p(atrono) c(oloniae)*; de *p(onendum) c(uraverunt)* (Mommsen) hoc loco, id est inter cognomen et *patri*, nullo modo putaverim posse cogitari. **Anxanum. 2998**: vocabulum *[t]ribus* hoc loco quid significet cum non facile intellegatur, videndum, num possit cogitari de indicatione diei (e.g. *[Kalendis Septemb]ribus*).

In fine operis sunt indices nominum, cognominum, imperatorum et tabellae synopticae, ex quibus apparet, ex quibus libris tituli novi sint sumpti. Ut iam observavi supra, indices generales in fasciculo quinto sequuntur. Opus totum, si versiones Italicas exceperis, scriptum est lingua Latina optima aetatis quae facile intellegitur (errores paucissimos, fortasse plerumque attribuendos typhothetae, observavi; e.g. in 6429 lege potius “in quattuor vers<ib>us”; in 6462 fortasse addendum est “<eo>” ante *Trebia*; 6587 “adderi” pro *addi*; p. 1253, ubi sermo est de indice generali, verba “(Indicem ...) fasciculo quinto ... editurus est” fortasse corrigenda sunt in “in fasciculo quinto ... editurus sum”). Ut concludam, dico hoc: Marcus Buonocore erexit monumentum aere perennius, rerum Romanarum studiosis non solum gratissimum sed etia utilissimum. Me fasciculos qui sequuntur mox in manibus habiturum esse spero.

Olli Salomies

Universitas Helsingiensis

CARLO SLAVICH: *La collezione epigrafica della Casa Museo dell'Antiquariato Ivan Bruschi di Arezzo*. Opuscula epigrafica 19. Edizioni Quasar, Roma 2019. ISBN 978-88-7140-972-6. 113 pp. EUR 25.

Il presente volume consiste in un'edizione della collezione delle antiche iscrizioni conservata presso la Casa Museo dell'Antiquariato Ivan Bruschi di Arezzo, raccolta verso i primi del Novecento a